

VI, 33

1.820

ILLVSTRIVM
PRINCIPVM IV-
NIORVM SA-
XONIAE.

IO. FRIDERICI II. ET
IO. VVilhelmi, fratrum.

DECLAMATIONES.
Quarum est:

1. De boni Principis officio.
2. De Diuo Georgio,
3. De dignitate legum conseruanda.
4. Gratulatio, Qua patrem su. clem.
Io. Frid. Du. Sa. Electo, &c. vi-
ctorem à Brunsvig redeuntem ex-
cepit.

Cum Præfatione

D. MARTINI LVTHERI.

M. D. LXXXIIII.

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like "RECEIPT" and "M. V. M.".



PRAEFATIO D. MAR
TINI LVTHERI

VIDIMVS ET
audiuimus his diebus
singulare, & apud Ger
manos inusitatum ex
emplū, Quod duo fra
tres, alter tertium de
cimum, alter quartum decimum an
num ingressus, ac pene (vt dicitur) in
fantes, habuerunt duas has Orationes
latinas contiguas, coram tota hac vni
uersitate. Et hi fratres, non infimæ,
nec mediocris, sed summæ nobilitatis,
puta summo clarissimoq; loco nati,
nempe filij Illustrissimi Principis no
stri & domini, D. Iohannis Friderici,
Ducis Saxoniae, Electoris &c. omni
um studiorum, artium & virtutum
Patroni clementissimi, Qui & ipse,
cum aliquot alijs Principibus vna præ
sens audiebat, magno (vt credere par
fuit, & satis apparebat) gaudio, scilicet

A ij

Pater

PRÆFATIO.

Pater filios suos, ea ætate, tam feliciter, idq; breui tempore, in literis profecisse.

Ego sane inter cæteros admirabar vehementer, non solum istam animi magnitudinem in pueris, qua in tali ac tanto cœtu, nihil territi, latine & dexterrime perorabāt, Sed etiam tam pure, tam grauius, tam distincte, ac ferre memoriter, quasi ex tempore dicerent, omnia pronunciabant.

Simul succurrebat recordatio temporis paulo superioris, in quo non inuenisses ex omni (quod dicitur) multitudine Ecclesiastica, Pontificum etiam Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, addo, Doctorum, & quicumq; voluissent deniq; audire doctissimi inter eos, qui tale aliquid præstare potuisset. Certe magnum decus, magnamq; gloriam literæ, vt vt sint apud alios magnates & proceres contemptæ, in istis clarissimis & illustris

PRÆFATIO.

Illustrissimis Principibus consecutæ
sunt, nec minore gloria ipsæ vicissim
Principes tantos, ornauerunt.

Hic videas, quid sit, quantumque
valeat bona institutio, præsertim, si
contingat (vt hic) natura formabilis,
& ingenium idoneum. Qua in re opti-
mi parentis, & illustrissimi Principis
consilium & voluntas, mirifice extol-
lenda sunt, qui filios suos, non vulgari
more Principum & nobilitatis, dile-
xerit, id est, otio & ignorantia negligi
passus sit, Sed omni studio & cura eos
recte institui & erudiri curarit, vt es-
sent non tantum sanguinis genere cla-
rissimi, sed & literis, ingenijque cultu,
cunctis nationibus admirabiles. Sed
ipsæ orationes mihi omnem materia-
am laudis præriperunt, ex quibus
ipse Lector intelliget, plura quæ mea
sicca ista & ieiuna seu horrida & sord-
ida oratio dicere potest.

A iij Hoc

PRÆFATIO.

HOC reliquum est, vt optimis pueris, clarissimisque Principibus, omnia bene precemur, & oremus Deum Patrem, largitorem istorum & omnium bonorum, vt ceptis istis felicibus studijs & institutis, feliciorum successuum, felicissimumque fructum, benedictione abundantis gratiæ suæ, donare dignetur. Quod eo magis orandum est, quod hoc seculo ingrato & pessimo, dubitare nos Christiani non possumus, quin Diabolus, omnium bonorum, ipsiusque Dei hostis furentissimus, & sicut Leo rugiens, Et confessioni Euangelij per istos Principes exacerbatissimus, tentabit omnibus studijs & insidijs, si non perdere omnino poterit, tamen impedire & frustrari hæc diuina dona.

Et videamus in sacris Historijs, Imo & in omnium Gentium historijs, quibus, qualibus, quantis machinis & astutijs in aulis Regum & Principum
(quia

PRÆFATIO.

(quia ex illis maximos & saluberrimos fructus in Ecclesiam & Politiam proferri sentit) regnare semper tentabit, & omnia inuertere studuerit, Vt nisi Principem ista coronet & complectatur Oratio, Psalmo vigesimo, Protegat te nomen Dei Iacob, Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Zion tueatur te. Certe inter tot dracones, serpentes, lupos, vulpes, & si qua peiora sunt monstra, Diaboli furentis ministeria, id est, inter fallaces Consiliarios, perfidos amicos, proditores ministros, rapaces proceres, ipse vnus & solus nequeat onus suum sustinere & perdurare. Et tamen inter hos viuere & regere cogitur. Principes enim, & quod optimum & summum in mundo est, vnice & auidissime petit, Delicata est gula (vt dicit Habacuc) esca eius electa, & Tyranni ridiculum eius sunt.

A iij

Quas

PRÆFATIO.

Quapropter commendatos ha-
beat sibi Ecclesia, & quisquis est, qui
Christi esse voluerit, hos optimos
Principes, & eorum studia ac guberna-
tiones, fideli & serua apud Deum
oratione, iuuet, contra Diabolum,
hostem illorum præcipuum. Qua in
re faciemus non solum gratissimum
sacrificium Deo, sed nobis ipsis quo-
que necessarium & salutare beneficia-
um. Quis enim cogitando, nedum dis-
cendo, consequi potest, quæ beata res sit,
sub bono & salutari principe viuere,
Qui & gloriam Dei & salutem Reipub-
licæ, querat, augeat & conseruet?
Dona sunt hæc, & (vt Scriptura lo-
quitur) benedictiones Dei opulenti-
ssimæ.

Ipsè Dominus IHESVS
CHRISTVS filius DEI, qui ce-
pit bonum opus suum in istis fratribus
Principibus, det, vt non solum alijs
Prin-

PRÆFATIO.

Principibus, Sed sibi ipsis, has duas
orationes cumulatissimo opere &
fructu recitarint, recitent, re-
tineantq; semper, ad glo-
riam Dei, & salu-
tem hominum,
Amen.



A v



DE OFFICIO BONI PRINCIPIS.

DECLAMATIO, quam illustris Prin-
ceps ac Dominus, D. Iohannes Fridericus
II. Dux Saxonix, Landgravius Thuringix,
& Marchio Mysnæ, Coram Illustrissimis
Principibus ac Dominis, D. Iohanne Fri-
derico, sacri Romani Imperij Electore,
Duce Saxonix, Landgrauio Thuringix,
Marchione Mysnæ, ac Burggrauio Mag-
deburgensi. D. Vuolfgango, Principe ab
Anhalt &c. D. Ernesto, Duce Brunsvicensi
ac Grubenhagen &c. Patre & cognatis
suis amantissimis, In frequenti consessu do-
ctissimorum virorum, Magnifici D. Re-
ctoris Doctorum & Magistrorum Acade-
miæ Vuitebergensis, publice recitavit,
Anno ætatis suæ XIII. Christi ve-
ro M. D. XLIII. III.
Calend. Mañ.

ILLVSTRISSIMI PRIN-
cipes, amantissime Pater, caris-
simiq; cognati, Domini clemētis-
simi, Doctissimi ac humanissimi
viri, fideles nobis vnice dilecti.
Erudi

Eruditissimi & prudentissimi quicq̄ non
parum referre censent, quibus modis ac re-
bus adolescentum animi statim ab incuna-
bulis imbuantur. Solent enim ea, quæ te-
neris annis imbibimus, tenacissime hæerere,
Sicut Poeta testatur, cum ait, Quo semel
est imbuta recens seruabit odorem, Testa
diu. Et docent quotidiana exempla.

Ideo, cum mihi, quamuis omnium ad
hanc rem ineptissimo, datum esset, ab hīs,
qui Parentum loco sunt, hoc negotiū, vt
coram celsitudine & humanitate vestra hic
verba facerem, operæ præcium me factu-
rum putauī, si sumerem eam materiam, quæ
huic loco ac tempori aptissima, & ætati no-
stræ utilissima fore videtur. Itaq̄ constitui
paucis aliquid nostris exponere, de officio
boni Principis, non vt vos (quibus ista ma-
xime trita ac perspecta sunt) doceamus, sed
vt nos (quorum fidei Respublica grauissi-
me à Deo commendata est) his miseris ac
periculosis temporibus, in tanta rerum o-
mnium perturbatione & securitate, saltem
excitemus & officii nostri ipsi nos admo-
neamus, vt olim eius quoq̄ meminimus,
cum ad Reipub. gubernationem Deo volente,
te, nos

te, nobis accedendum erit, ac re ipsa auxilio
Dei præstemus ea, quæ nunc exposituri
sumus.

Primum autem dicam, quod sit Principis officium erga Religionem. Deinde, qualis erga Remp. ciues ac subditos, esse debeat. Idq; faciam q̄ breuissime fieri poterit. Quare officiose rogo, & clementer à vobis peto, vt me, licet infantem de re grauiissima, quæ videtur ad Remp. maxime pertinere, paulisper benignis auribus & animis (vt hæctenus semper fecistis) audire velitis.

PRæcipuum igitur ac summum officium principis est, omni studio, cura & diligentia, colere & conseruare veram Religionem, curare, vt homines, quib. præest, recte de Deo doceantur, vt pia doctrina & pñ cultus eis proponantur, falsam doctrinam, impios cultus & Idolatriam tollere ac prohibere. Nam & propter hunc finem politix diuinitus institutæ sunt, vt Deus innotescat apud homines, & illustretur pura doctrina Euangelñ, commodis nostris moribus ac benefactis, non tantum ventris & fortunarum gratia.

Ita

Ita enim Deus nominatim præcipit his
qui præsent, vt obtemperent Euangelio,
idq; propagari sinant, cum eos in hunc mo-
dum alloquitur. Et nunc Reges, inquit, in-
telligite, erudimini qui iudicatis terram,
Seruite Domino in timore, & exultate ei
cum tremore, Osculamini Filium, ne quan-
do irascatur Dominus, & pereatis de via.

Hoc præceptum Dei pertinet ad om-
nes Principes & Respublicas, vt verã reli-
gionem, & sanam Euangelij doctrinam am-
plectantur, colant, adiuuent ac defendant.
Impios cultus, idolatriam & blasphemias
prohibeant & tollant, Nec patiantur in
Ecclesiis suis spargi falsa dogmata, quibus
Deus contumelia afficitur. Et huic præ-
cepto addita est grauissima comminatio,
quia minatur eis extremum exitium & in-
teritum, nisi obtemperauerint, Ait enim
fore, vt Deum ad iram prouocent, & ipsi
miserrime pereant, sicut omnium ætatum
ac temporum historiæ testantur.

Iudæorum, Græcorum, Romanorum
& aliarum gentium Imperia & Regna fun-
ditus corruerunt & deleta sunt propter
impios cultus. Regnum Israel distractum
est pro

est propter Salomonis idolatriam, quæ
peperit non solum perpetua bella & exci-
dium decem tribuum, sed etiam horribilem
dissipationem Religionis. Deinde multi
reges in Samaria crudeliter interfecti sunt.

Et ne procul exempla queramus, vidi-
mus nostris quoque temporibus Principes,
alios quidem exutos regno, perpetuisque
carceribus addictos, Alios penitus extinctos
esse cum tota pene stirpe, propter idola-
triam & impiam doctrinam, quam tueri
conabantur.

Econtra laudantur & ornantur mag-
nis præmiis, egregiis victoriis & beneficiis
Reges ac Principes, qui sustulerunt idola,
sicut Aza, Iosaphat, Ezechias & Iosias. De-
us enim hoc officium maxime probat, & a
nobis requirit, Sicut scriptum est, Glorifi-
cantes me glorificabo, contemnentes me
reddam contemptos.

Quare valde reprehendendi sunt Prin-
cipes, non tantum hi, qui doctrinam Euan-
gelii palam prosequuntur, Sed etiam qui se
medios gerunt, nec tollunt abusus, sed ex-
pectant iudicium Episcoporum, tantisper-
dum communi Pontificum consensu statu-
atur.

atur, quid sequendum sit, Interim nec aperte persequi, nec amplecti piam doctrinam videri volunt.

Hi, præterq̄ q̄ exemplo suo stabiliunt impietatem, deterrent infirmos (qui pendunt ex ipsorum iudicijs) & confirmant furorem aduersariorum, Videntur etiam cum blasphemis & hostibus Euangelij consentire. Nec excusari poterunt, propterea quod Deus ab omnibus & à singulis grauissime requirit, vt Euangelio credant, idq̄ confiteantur, siue accedat autoritas Episcoporum, siue aduersetur. Sicut scriptum est, Corde creditur ad iusticiam, ore autē fit confessio ad salutem. Item, Qui me negauerit coram hominib. eum ego negabo coram Patre meo. Non enim dubium est vel iure quoq̄ positiuo, quin si Episcopi vel cessent, vel ipsi falsa doceant, reliqua Ecclesia debeat malos pastores ab officio remouere. Sed principes & alij Magistratus, sunt præcipua membra Ecclesiæ, Necessesse est ergo, illos hanc emendationem inchoare & adiuuare, iuxta illud, Cauete vobis à Pseudoprophetis, Et, Aufferte malum ex vobis ipsis, Et iterum, Si quis aliud Euangelium

gelium docuerit, anathema sit. Quæ sententia singulis præcipiunt, vt execrentur defensores impiorum cultuum & impiæ doctrinæ, tanq̃ excommunicatos & maledictos.

Quod cum verissimum sit, debet Ecclesia, remotis istis impijs Pontificibus & Sacrificulis, eligere pios & eruditos Pastores, exemplo Antiochenæ Ecclesiæ, quæ propter impium dogma excommunicauit Samosatenum Episcopum, Qui cum nollet ex Episcopi domo discedere, ac retineret Episcopi facultates, haberetq̃ suam factionem, quæ eum defendebat, Ibi sanior Ecclesiæ pars impetrauit ab Ethnico Imperatore Aureliano, vt Samosatenus cogeretur imperio Magistratum relinquere domum & facultates Episcopi.

Ita quandocunq̃ constat doctrinam esse impiam, non est dubiũ, quin sanior pars Ecclesiæ debeat amouere malos Pastores, & abolere impios cultus. Et hanc emendationem vt dixi, præcipue adiuuare debent Magistratus, tanq̃ potiora membra Ecclesiæ. Impios ac blasphemos ab officijs Ecclesiasticis renouere, ac legitimis poenis afficere.

Quem

Quemadmodum & olim in primitiua Ecclesia veteres Imperatores puniebant & eñciebant ex Ecclesia Donatistas. Qui cum quererentur sibi iniuriam fieri, seq̄ iniuste puniri à Magistratibus, quod causa esset Ecclesiastica, respondet Augustinus (sicut in Decretis quoq̄ repetitum est) id recte fieri, Allegat leges & exempla piorum Imperatorum, Constantini, Valentiniani & Theodosij qui propositis grauissimis legibus (quæ adhuc hodie extant in Codice) prohibuerunt cultum Idolorum, & constituerunt capitalẽ pœnam in eos, si qui palam sacrificarent. Et nunc ipse Ro. Pontifex, & si hæreticorum omnium sit summus, imo Antichristus, excommunicat & omni genere suppliciorum afficiendos esse iudicat eos, qui nolunt ipsius hæreses & falsa dogmata amplecti.

Nec vero solum debent Principes in sua quisq̄ ditione, apud eos quibus præsunt, impios Pontifices & Sacrificulos ab officijs Ecclesiasticis remouere, Sed debent etiam Euangelij ministerium adiuuare, quantum possunt, & curare, vt pñ Pastores & Doctores habeant victum & honesta stipendia, quo commodius sacra tractare, & piæ doctrinæ

B incum

incumbere possint. Ob hanc enim causam Scriptura Reges appellat nutricios, id est, Ecclesiae defensores. Et Christus tribuit eis hunc titulum & honorem, ut benefici ac Dñ vocentur, q̄ diuinum officium gerant, & alijs, potissimum Ecclesiae, benigne facere, & in eam beneficia conferre debeant.

In primis autem operam dare debent, ut studia literarum floreat, quemadmodum iure quoq; communi, sapientissime constitutum est ab optimis Imperatoribus, praecipue vero earum artium, quibus opus est Ecclesiae Christi, curare, ut pauperes Scholastici publica liberalitate in Scholis alantur, recte erudiantur, & seueriore disciplina regantur, ut eorum usus in Ecclesia & Reipub. postea esse possit. Nam sine Scholis & doctrina non potest Euangelij puritas ad posteros conseruari, nec Respub. feliciter administrari, Et Ecclesiasticae controuersiae non possunt explicari sine magna eruditione, quemadmodum his temporibus experimur.

Atq; hoc est officium boni Principis circa Religionem recte colendam, conseruandam & tuendam apud eos, quib. ipse praest. Quo nullum Deo gratius, nec Reipub. utilius & magis necessarium esse potest.

Nunc qualis erga Rempub. ac subditos
esse debeat, paucis exponam. Quod & si
latissime pateat, tamen ego nunc eas tantum
virtutes attingam, non quibus ipse priuatim
ornatus esse debet, sed quæ pertinent ad
Rempub. feliciter administrandam.

Quamuis enim maxime optandum sit, ut
Princeps omni genere doctrinarum & vir-
tutum præditus & excultus sit, ut exemplo
suo subditos ad studium virtutis & literarum
excitet & accendat, Et ut priuatim ipse præ-
stet alijs, pietate, temperantia, animi mode-
ratione, modestia, grauitate, cui adiuncta est
humanitas, eruditione, commodis morib. ac
similib. virtutibus, quæ versantur circa pri-
uatam vitam, Fere fit enim, ut subditi se com-
parent ad mores Principum, eosque studeant
imitari, Sicut & Plato scribit, Quales sunt
Principes, inquit, tales sunt etiam ciues, Ta-
men in Principe solent in primis hæc virtutes
desiderari, quæ maxime pertinent ad conser-
uandam ciuilem societatem & tranquillitatem
publicam, videlicet prudentia, iusticia, fides,
beneficencia, mansuetudo & clementia, for-
titudo & magnitudo animi, Nam sine his nul-
la ciuitas, nulla Resp. comode regi & admi-
nistrari potest.

B ij Debet

DEbet ergo Princeps primum non im-
prudens nec imperitus esse rerum, vt &
ipse per sese perspicere possit, quid in causis
maxime sequendum sit, Ne semper alienis o-
culis videre cogatur, & pati, vt tanq̄ vrsus &
animal rationis expers, circumducatur ab ijs
qui tantum sua quærunt, non vtilitatem pu-
blicam. Plato beatas ait fore Respublicas,
quibus præsumt aut sapientes aut sapientiæ
studiosi. Male enim agitur cum subditis,
quorum Princeps puer est, vt ait Scriptura.

Et, si vel natura vel per ætatem tanta for-
te prudentia præditus non est (aut enim Re-
gem aut fatuum nasci oportet, iuxta Prover-
bium) ex aliorum scriptis & libris, maxime ex
historijs addiscat, & adhibeat in consilium
homines eruditos, prudentes ac pios, quorū
integritas, fides & innocentia perspecta est,
qui non priuatæ sed publicæ vtilitati studēt.
His recte monentibus obtemperet, horum
consilio Rempublicam administret, & ius di-
cat, non ex arbitrio ac pro libidine, sed ex
scriptis legibus, quas summo studio tanq̄ or-
dinationes diuinas colat, obseruet & tueatur
exemplo optimorum Principum & Impera-
torum, cum Alexandri Seueri, qui nihil vnq̄
consti-

constituit, nullam legem tulit, nisi prius in
consilium adhibitis viginti lurreconsultis, ho-
minibus eruditis & usu rerum peritis, Tum
Antonini Pⁿ, qui nihil solitus est agere nec
in bellicis nec in ciuilibus negocijs, de quo
non prius conferret cum grauib^{us} viris, di-
cens, Aequius est, vt ego tot talium amico-
rum consilium sequar, quam vt tot tales ami-
ci meam vnus voluntatem sequantur. Plu-
rimum abhorrens à quorundam ingenio, qui
consulto pileo suo dicunt, vos quidem sedu-
lo consulitis, sed aliud mihi suadet pileum
meum.

DEinde pacis & iusticiæ studiosus esse de-
bet, ac meminisse huius celebratissimæ
sententiæ Scipionis, qua Imperator Antoni-
nus Pius, tantopere delectatus est, vt subin-
de dicere solitus sit, Se malle vnum ciuem ser-
uare, quam mille hostes occidere. Vox digna
bono Principe, qui cum sit communis pa-
rens patriæ, consulere debet publicæ saluti
potius quam obsequi priuatis affectibus, Et
quoad eius fieri potest, semper pacem bello
præferre debet. Exemplo piæ memoriæ
Ducis Saxonie Friderici Principis Electoris,
propatruⁱ nostri amantissimi, Qui, cum pacis

B in esse

esset studiosissimus, aduersariorum animos,
impetus & furorem fregit singulari pruden-
tia, moderatione animi, benemeritis ac be-
neficijs. Quod si forte necessitas ita postu-
lat, vt armis decertandum sit (& si prius o-
mnia experiri debeat) etiam in ipso bello
sentiatur, oportere primam esse Ducis curam,
vt q̄ minima ciuiū iactura paretur victoria.

Principem enim oportet, ait Imperator,
& legibus armatum & armis instructum, hoc
est, iuris & armorum peritum esse, vt qui Rē
publicam sapienter administret iure, legib.
ac iudicijs optime constitutis, Malos legiti-
mis poenis afficiat, Bonos, pios & eruditos,
non solum defendat, sed etiam præmijs or-
net, vt sit honor virtuti. Qui singulari ani-
mi magnitudine præditus, vim hostilem ar-
ceat ab his, quibus præest, ne opprimantur
& lædantur à latronibus, Quales sunt hoc
tempore Incendiarū, Turcæ immanissimi
Christiani nominis hostes, qui nunc agitati
furij, Germaniæ nostræ minitantur excidi-
um, & Religionem nostram ac piam doctri-
nam Euangelij penitus euertere atq; delere
sedulo student. Hoc enim in primis agit ac
quærit per organa sua Diabolus, vt nobis
oppressis,

oppressis, Christi nomen & regnum funditus
extinguatur & intereat. Quod accidit
haud dubie propter ingratitudinem nostrā,
& propter mores nostros, qui minime de-
cent pios animos.

Aduersus hos truculentissimos hostes,
posteaq; à Deo culpam deprecari fuerimus,
omnib. viribus, & coniunctis corp̄s arma su-
mere, in acie stare, & auxilio Dei (quē in pri-
mis oportet huius belli ducem & Antesigna-
num esse, alioqui parū efficiemus) illorum im-
pios conatus reprimere, infringere, & pro li-
beris ac coniugib. pro aris & focis pugnare,
Et, si superis ita visum est, oppetere mortē of-
ficiū est Deo gratissimū, nec vllū genus mor-
tis honestius & præclarior esse potest, q̄ pro
pietate & patria fortiter dimicādo occūbere.

Has pulcherrimas boni Principis virtu-
tes Homerus hoc versiculo breuissime com-
plexus est, cū Agamemnonis laudes enume-
rat, & ait, ἀμφοτέρου βασιλευς τ' ἀγαθός
κράτερος τ' αἰχμητής. Quem nos ita verti-
mus, Et bonus est Princeps, & fortis miles
in armis. Quo ferunt Alexandrum illum
Macedonum tantopere delectatum, vt sem-
per eum in ore habuerit. Sicut & Alphonsus

B iiij

Arra

Arragonū Rex hoc suo symbolo, PRO LE
GE, PRO GREGE, Quo prudentissimus
Princeps significare voluit, sumam & præci
puā curam Principis hanc esse debere, vt in
tegræ conseruentur leges scriptæ, tam diui
næ quam humanæ, Et vt subditi ac ciues in
pace viuant, & ab omni iniuria maneant il
læsi, ad illustrandam gloriam Dei. Nam ille
Princeps demum vera laude dignus est, qui
tenet artes domi regendæ Reipub. vt publi
ca pax & tranquillitas ac disciplina conser
uetur, Et qui foris potest suos ab iniuria de
fendere contra vim hostilem.

Modis omnibus autem fugiat & deteste
tur bonus Princeps animi ferociam &
Tyrannidem, quam Cicero prudenter & ve
re scribit, esse malum custodem diurnitatis.
Et Scriptura discerte dicit, q̄ propter Tyrā
nidem, iniuriam & auariciam, transferuntur
Regna ab vno populo ad alium. Nulla enim
Tyrannis potest esse perpetua, quemadmo
dum exempla testantur Phalaridis, Dionis̄,
Neronis & aliorum, qui monstra potius fue
runt & δημοβόροι quam Principes. Sed miser
rime perierunt, solent enim Tyrannorum
exitus fere semper esse tristes ac Tragici, Si
cut & Poeta dicit, Ad ge

*Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt Reges & sicca morte Tyranni,*

Assuefaciat ergo se Princeps ad animi
moderationem, ad mansuetudinem & cle-
mentiam, ac meminerit se gerere diuinum
officium, & à Deo constitutum esse, tanq̃ ali-
enæ rei procuratorem & œconomum, quem
oportebit olim illi reddere rationem exa-
ctissimam omnium eorum quæ gessit, Sibiq̃
commissam esse curam maximarum rerum,
iuuandæ ac defendendæ Ecclesiæ, piæ do-
ctrinæ ac patriæ, ad exclusum impetum hostium,
Non vt expleat libidinem suam, & agat quic-
quid liber. Sicut elegantissimum de Diuo
Georgio equite figmentum ostendit, quod
quale sit, iam iam statim atq̃ ego finem dicen-
di fecero, breuiter explicabit illustris Prin-
ceps ac dominus, Dominus Iohannes Vuil-
helmus, Saxonix Dux &c. Frater meus hic
amantissimus.

Imperatores, Theodosius & Valentinia-
nus, sapienter & recte constituunt & iudi-
cant, hanc vocem esse maxime dignam Maie-
state regnantis, si Princeps profiteatur se le-
gib. alligatum esse (hæc enim sunt illius con-

B v

stitutiones

stitutionis verba) propterea quod eius au-
thoritas & potestas pendet ab authoritate
Iuris. Et Iure consultus eleganter scribit,
decere tantam Maiestatem eas seruare le-
ges, quibus ipse solutus esse videtur.

EXposui breuiter ac simpliciter, clemen-
tissimi Domini & humanissimi viri, tan-
tum ea boni Principis officia, quæ maxime
pertinent ad Rempub. administrandam,
quæq; à Deo grauissime præcepta sunt, &
habent piorum Principum ac Regum exem-
pla, cum erga veram Religionem, quam abo-
litis impñs cultibus & dogmatibus summo
studio conseruare, propagare ac tueri de-
bet, vna cum literarum studijs & legibus (vt
sine quibus Respub. retineri non possunt)
etiam periculo corporis, rerum & fortuna-
rum omnium, Tum erga Ciues ac subditos,
quos ratione, prudentia & Iure legitimo re-
gere, & aduersus improbos ac latrocinia de-
fendere debet. Nam ea pro dignitate tra-
ctare, copiosius & splendidius illustrare, tan-
tisq; rebus addere lumen aliquod & pondus
hoc certe requirit plus virium, ingenij ac
doctrinæ, quæ, vt scitis, non cadunt in hanc
nostram ætatem.

Superest

Superest ergo nunc, vt quisq; summo studio in hoc incumbat, vt suum officium diligenter ac fideliter faciat, Ac meminerit, se olim, & forte quando minime, exactissimam rationem omnium eorum, quæ gessit, redditurum esse, non homini, sed Deo, quem nemo fallere potest, quiq; singulis dabit præmia pro meritis, nulla habita ratione personarum. Non enim omnino temere est, quod nostrates vulgo dicunt, Princeps rara avis est in cœlo, Sicut & omnes Historiæ testantur.

Postremo tantum à vobis hoc officiose ac clementer peto, vt pro vestra humanitate, fide ac beneuolentia, meam hanc infantiam boni consulere, & hoc institutum (quod forte temerarium videri posset) si non probare saltem, non vicio nobis dare velitis, Non enim omnia possumus omnes, Et, Anus fert, non ager, quemadmodum dici solet. Pro quo beneficio nostra vicissim officia & studia, cum singulari obseruantia & clementia præstanda vobis deferimus,

Dixi

DECLA

DECLAMATIO DE
DIVO GEORGIO
EQVITE.

Ducis Saxoniae D. Iohannis VVil-
helmi, Anno ætatis suæ 13.



ILLVSTRISSIMI
Principes, amanti sime pa-
ter, carissimi cognati, ac
frater, clementissimi Domi-
ni, summaq; mihi observa-
tia perpetuo colendi, cla-
rissimi ac doctissimi viri,
fideles nobis vnice dilecti. Quod Medico-
rum est promittunt Medici, Tractant fabri-
lia fabri, inquit Poeta Sic ego, cum inius es-
sem ab ñs, quib. parere pium & necessarium
est, in his, quæ pertinent ad gloriam Dei &
ad salutem Reipublicæ, Alioqui nunq; aude-
rem hoc tentare, vt hic coram celsitudine &
humanitate vestra verba facerem, Quamuis
ad hanc rem, vt scitis, omnium ineptissimus
sum, sumpsi argumentum, puerile quidem il-
lud ac Poeticum, sed quod huic ætati nostræ
non ineptum nec inutile videtur, Admonet
enim nos, qui nati sumus ad Rempub. admi-
nistrans

nistrandam, officij nostri, Quare C. V. reuerenter oro, & clementer à vobis peto, vt me liceat infantem, paulisper benignis animis audire velitis.

Non ignoratis Diuum Georgium (quem Nimpñ Pontificij retulerunt inter Diuos, & Equites nostri hactenus sibi Patronum ac Deum tutelarem constituerunt (à pictorib. pingi solere cataphractum, insidentem equo, & confodientem hasta immanem Draconem, qui volebat elegantissimam & innocentissimam puellam, inermem ac destitutam omni auxilio humano, viuam deuorare, nisi Georgius eques armatus, tanq̃ coelo delapsus, ei præsentem opem tulisset.

Quod fabulæ genus à Græcis sapientissimis & ingeniosissimis hominibus, non temere excogitatum esse videtur, Ideo paucis exponam, quid hoc pulcherrimo figmento significare voluerint. Nunq̃ enim in rerū natura fuit talis Georgius, qualem describit liber fabularum Pontificarum de mortuis Sanctis, Nisi Perseum apud Poetas intelligas.

Ac primum non est dubium, quin homines eruditi ac pietatis studiosi voluerint hac imagine & id genus alijs picturis (qualis est
& Chris

& Christophori nobis ob oculis ponere statum Reipublicæ Christianæ, Item, quales esse debent Magistratus & Principes erga Ecclesiam & subditos. Satis enim constat Ecclesiam expositam esse varijs generibus afflictionum & calamitatum in hoc mundo, quibus pñ solent hic à Diabolo vexari & cruciari.

Nam hostis ille noster infensissimus, nunc excitat hæreticos, qui conantur eam euertere falsis dogmatibus, impijs cultibus & Idolatria, Nunc exuscitat Tyrannos & sediciosos, qui student Ecclesiam Christi delectare vinculis, carceribus, exilio, igni, ferro & similibus exquisitis tormentis ac cruciatibus, Nunc emittit auaros, vsurarios, & voluptarios, qui eam expilant miris technis, fraudibus, & omni genere voluptatũ & luxus oppugnant, sicut omnium ætatũ Historiæ testantur, & nos hoc tẽpore satis experimur.

In tantis periculis & difficultatibus inermis Puella deseritur ab omnibus. Nullus .n. est in tanta multitudine hominum opulentissimorum ac potentissimorum, qui nihil aliud student & sequuntur, præterq̃ suas cupiditates, voluptates, opes, luxum, auariciam
libidinem

libidinem & similia flagitia, quæ nunc à quibusdam fere pro virtutibus habentur. Nemo inquam est, quem huius puellæ calamitas afficiat & moueat, Tantum abest, vt aliquis sit, qui velit eam aduersus immanissimam illam beluam tueri.

Et videretur haud dubie peritura, nisi Deus (cui soli curæ est) Georgium aliquem, hoc est, pium Principem, tanquàm ex cœlo mittat & excitet, qui memor officij sui, miseram puellam morti destinatam, ab his malis liberet, ac Draconem hasta conficiat & armis, Quæ quidem ei data & commissæ sunt diuinitus, ad conseruandam veram Religionem, ad prohibendam & abolendam externam Idolatriam & turpitudinem, ad defendendos pios & bonos aduersus impios & Tyrannos. Nam Magistratus non temere gerit gladium, inquit S. Paulus, vt quo tanquàm minister & vicarius Dei, grauisime animaduertere debet in facinorosos, qui pietatem & publicam pacem interturbare conantur, pro vt leges & Iura constituunt.

Sicut Constantinus Imperator Christianos armis & exercitu defendit aduersus Maxentium & Lycinium collegas suos & Imperatores, qui cum nomen Christi acerbissime odissent,

me odissent, pios persequerentur, & ingen-
tia bella aduersos eam mouebant, Sed Con-
stantinus auxilio Dei, fregit ac repressit illo-
rum Tyrannidem ac furorem, & obtinuit
victoriam.

Nec vero solum debent Principes &
Magistratus iniuriam ab Ecclesia & à suis
propulsare, ne lædantur ab improbis & la-
tronibus, Sed debent eam etiam colere &
propagare. Curare, primum vt vera Reli-
gio, pñ cultus & sana doctrina Euangeli-
re tradatur, & proponatur his quibus præ-
sunt. Omnes enim Politix diuinitus institu-
tæ sunt, maximæ propter hunc finem, vt De-
us innotescat & illustretur apud homines,
non tantum vt venter & facultates in tuto
sint. Et Magistratus est custos à Deo con-
stitutus, vniuersæ legis, tam primæ quam se-
cundæ tabulæ, quod ad externam discipli-
nam attinet, Sicut Iura nostra quoq; scripta
prudenter & recte præcipiunt.

Quod veteres Principes & Maiores no-
stri summo studio præstiterunt, quemadmo-
dum ex historiis apparet, & res ipsa loqui-
tur. Defenderunt piam Ecclesiam, & in eam
multa beneficia liberaliter ac pie contule-
runt,

runt, in hunc usum, ut conseruetur vera Re-
ligio, pñ cultus, ac literarum studia, quibus
opus est Reipublicæ Christianæ. Non ut hi
redditus deuorentur ab impñs et ociosis ho-
minib. qui non sunt in officio Ecclesiastico,
qui aut negligunt aut oppugnant Ecclesiam
Christi, tantum abest, ut ei seruiant, eamq;
tueantur.

Deinde hoc in primis agere quoq; de-
bent Principes ac Magistratus (sicut Ethy-
mologia huius vocabuli satis ostendit, Ge-
orgius enim græcis sonat Agricultorem seu ter-
ræ cultorem, qui agrum suum colit & ædifi-
cat, non qui destruit aut deuastat) ut ipsorū
Ditiones et Ducatus excolātur, ut vrbes flo-
reant, non tantū splendidis ædificiis, Sed eti-
am iusticia, pace, disciplina, iure, legibus, iu-
dicis optime constitutis, ac bonis literis,
Quod significare videtur plumæ, quas equi-
tes in pileis ac galeis perpetuo gerunt. Cō-
stat enim, quod sine his nulla Respublica fe-
liciter administrari nec conseruari potest.
Et scitis á nostris hominibus vulgo dici sole-
re, Pennam oportere Imperatricē manere,
tamen venti non desinant eam oppugnare.

Cæterum, quod Georgius fingitur alñs
C ornator;

ornatior, equo vehi, videtur hanc significacionē habere, q̄ Principes, & hi quibus Respublica diuinitus est cōmissa, debent alios excellere ac prestare pietate, iusticia, prudentia, animi magnitudine, clementia, fide, modestia, mansuetudine, humanitate, cui grauitas adiuncta est, beneficentia & liberalitate, & id genus alijs heroicis virtutibus. Quemadmodū Aristoteles sapienter monet Alexandrum Magnū, cuius Præceptor fuit, vt cogitet Imperium sibi contigisse ad benefaciendum toti generi humano, non vt in alios petulans & lasciuosus sit. Et Xenophon recte dicit, Bonum Principem nihil à bono patre differre. Nam & inde nomen habet benefici, vt de alijs bene mereatur, & liberalitatem, non Tyrannidem exercent.

EXposui breuiter ac simpliciter, Illustrissimi Principes, ac Humanissimi viri, meā stultitiā & Mythologiam huius figmenti de equite Georgio, quem pleriq; nostrum ornatu tantum imitantur, non vt alijs beneficiant, & Reipublicę cōsulant, sed vt affectibus suis indulgeant, & faciant quicquid libet.

Superest ergo nunc, primum, vt omnib. votis optemus, vt omnes, qui tenēt Respublicas,

licas sint tales *Georgi*, qualē nobis hęc pi-
ctura proponit. Sicut certe plures esse sci-
mus, etiā hodie, qui exculti omni genere vir-
tutū, quę dignę sunt bono Principe, pie, iu-
ste ac prudenter gubernant R. empublicam.

Deinde vos etiā hoc officiose rogo, &
clementer à vobis peto, vt hos pueriles lu-
sus, (qui tamen seria ducunt) boni consulere,
& in optimā partem accipere velitis. Si sen-
sero vobis hoc institutū & exercitium non
improbari, & si tardioris ingenij esse iudicor
(vt certe sum) dabo tamen operam auxilio
Dei, quantum potero, ne videar officio meo
defuisse, nec plane fefellisse spem & expecta-
tionem, quam forte de me concepistis. Not-
um. n. est vobis illud *Virgilij*. Omnia fert æ-
tas. Et illud, *Annus producit, nō ager*. Item,
*Benedictio Domini diuites facit citra mole-
stiam* Quod amantissime Pater, ac cognati,
obseruandi domini, vosq; humanissimi viri,
vobis, quantum Deus dederit, de me per-
suadeatis velim, Idq; vt faciatis, hoc vos
vehementer oro,

Dixi.

III. Calend. Mañ. Anno XLIII.

C h

De

DE DIGNITATE LEGUM
conseruanda, & de Legibus Regni
literarij, Illustrium Principum iu-
niorum Saxoniae Ducum, &c.



ILLVSTRISSIMI
Principes, ac Domini plu-
rimum obseruandi, claris-
simi & doctissimi viri, fide-
les nobis vnice dilecti. Cū
beneficio DEI (qui res hu-
manas regit) nobis & si indignis in hoc no-
stro conuentu contigerit hoc quicquid, est
Imperioli, idq; feliciter administrari non
possit sine legibus, quas Cicero prudenter
ait esse vincula ciuitatis. Licet hæ parum ha-
beant momenti, Sicut Iureconsultus elegan-
ter inquit, Nisi sint qui iura reddere possint.

Ideo priusq; Regni leges præscribam,
quæ huic nostro Imperio maxime congrue-
re videntur, operæ præcium visum est, obi-
ter explicare questionem, quæ nunc à qui-
busdam agitari solet, videlicet, VTRVM sa-
tius sit ex arbitrio boni Principis, An ex Iu-
re scripto Rempublicam administrare?

Quod

Quod dum breuiter ac simpliciter facio,
vehementer oro, primū, vt mihi, qui vix de-
cimum tertium ætatis annum ingressus sum,
vitio vertatis, quod ego in tanto cœtu præ-
stantissimorum ac eruditissimorum virorū,
hunc locū ascendi, nulla doctrina nec facun-
dia præditus. Hoc enim non temeritate, nec
inani quadam ostentatione (sicut forte qui-
dam opinantur) sed officio ductus facio. Nā
quicquid huius facio, hoc facio iussu Præce-
ptoris nobis vnice dilecti, cui (cum loco pa-
rentum sit) non obtemperare, præsertim in
hoc honestissimo ac pulcherrimo genere
exercitiū, parum pium existimo. Deinde ro-
go & à vobis peto, vt in hac causa (quæ non
parum habet momenti) me pro vestra hu-
manitate, beneuolentia & fide, attente ac be-
nigne audiatis.

ET quidem pleriq; sunt hoc tempore, qui
putāt vtilius esse Reipub. res ex arbitrio
boni viri iudicare, potius q̄ ex iure scripto
Illi, vt acuti ac Reipub. optime consultum
velle videri volunt, has opiniones suæ ratio-
nis adferunt. Primum enim disputant, Non
posse omnes causas legibus cōprehendi, si-
cut & Iureconsultus scribit, Cum illarum in-

C in finita

Infinita multitudo sit, & quotidie nouæ subin-
de emergant, de quibus diserte nullum Ius
scriptum extat, quas plerasq; oportet ex ar-
bitrio iudicare, Sicut experientia testatur.

Deinde valde queruntur, indignissimum
esse, vt omnes etiã Magistratus, & hi qui ex-
ercent iudicia, tanq; pueri cogantur sequi
Iureconsultorum dictata, nec audeant ab il-
lorum Responsis discedere, neq; quicq; de
suo consilio statuere.

Postremo, Si Iudex omnia negocia, pro
sua prudentia iudicaret ex arbitrio, pro vt
sibi videatur æquũ ac bonũ, Sicut olim om-
nia manu regia gubernabãtur, sine certo Iu-
re scripto, quemadmodũ Pomponius Iure-
consultus scribit. Hac ratione contendunt
illi, facillime fieri posse, vt tollantur omnes
Rabularum & Leguleiorum quorũdam ar-
tes, argutiæ & fraudes, quibus omnes leges
figunt atq; resigunt, omnia Iura & iudicia pro
sua libidine peruertunt, vexant miseros &
innocentes clientes litibus, quas in infinitum
extrahunt, & litem ex lite serunt, vt multum
inde lucelli corradant & emungant.

Habita igitur ratione cum dignitatis &
utilitatis tum etiam necessitatis censent, vt
aboliri

abolitis legibus, omnia negocia Iudicis, æqui-
tati, prudentiæ & authoritati iudicanda per-
mittantur. Ita enim futurum existimant, vt
Respub. multo hon. stius & cōmodius admi-
nistretur, si Iudicis potestas non ita legib. es-
set astricta.

Et in hanc sententiam discedunt etiã eru-
diti quidam, sed in alio genere doctriinæ, qui
nunquam in causis versati sunt, nunquam at-
tigerunt Rempublicam. Est enim plausibilis
hæc opinio, non tantum imperito vulgo,
quod cupit esse solutum omnib. legibus, que
sunt vincula societatis humanæ, sed etiã mul-
tis Proceribus, Satrapis ac Iudicibus, qui mal-
lent in exercendis Iudicijs & in dicēdo Iure,
potius sequi suas cogitationes & consilia, q̄
certum Ius scriptum, a quo non audent alio-
qui temere discedere, ne videātur Tyranni.

Sed hanc opinionē omnes sapientes ac pe-
riti Reipublicæ administrandæ, non pro-
bant, Et recte statuunt, Ex scriptis legibus
Ius esse dicendum, non ex arbitrio, Idq̄ pro-
pter has & alias plerasq̄ rationes.

Primum, Quia non sæpe contingit Iu-
dex aut prudētia tanta, vt sine legib. videat,

C iij quid

quid sit æquissimū, ac maxime vtile Reipub-
licæ, Aut tanta iusticia, vt non sit opus eius
potestatem legibus moderari. Sepe enim vi-
rum mediocrem decipit aliqua species recti,
Qui, si legibus esset admonitus, melius iudica-
turus erat. Interdum animo, qui gratia aut
odio impeditus est, morem gerit, Quia nul-
lis legum vinculis tenetur. Nam etiam bo-
nos viros licentia reddit deteriores.

Quare valde opus est istis vinculis, Quæ
etiamsi perumpunt aliquando Tyranni, ta-
men profunt ad regenda & coercenda me-
diocria ingenia. Præstat autem hoc quod in
commune prodest, vt sapienter ait Impera-
tor, etiamsi interdum secus aliquid euenit.
Sicut Medicinam colimus, quia sepe restituit
egrotos, tametsi non omnes morbos tollere
& curare possit.

Deinde, quoties inter se etiam boni viri
in iudicando dissentirent, Quod sæpius acci-
dit, vt aliud alijs æquum videatur, Quomo-
do sententiæ cõciliari possent, si nullam cer-
tam formam haberent præscriptam? Facile
autem est ex talibus dissensionibus oriri ma-
ximos motus in rebus publicis, qui postea fa-
cile sedari nõ possunt. Quod ne accidat, sum-
ma di-

ma diligentia prouidendum & cauendū est.

Sed finge Ius dicere viros summa prudentia, iusticia & constantia præditos, qui nusquam falli, nusq̄ decipi, nusq̄ errare possint, Qui neq̄ gratia neq̄ odio affici aut cōmoueri queant, Tamen ad tranquillitatem publicam & priuatam proderit extare certum Ius & certas leges. Nam importuni litigatores non obtemperant, non cedunt Iudici, nisi Ius sit certum. Semper accusant aut fidem aut diligentiam Iudicis, nisi intelligant, quam habuerit Iudex causam necessariam suæ sententiæ.

Itaq̄ Ius scriptum munit primum Magistratus aduersus oportunitatē litigantium, Qui cum norunt Ius, vident Iudicem nihil priuato affectu, nihil errore pronunciare, Sed sequi præscriptum, quod illi mutare nō licet. Et intelligunt se hoc Ius debere tolerare, quod excogitatum est, non ad vllius gratiam aut priuatam vtilitatem, sed ad retinendam societatem & tranquillitatē inter ciues.

Est igitur hæc tutissima ratio cōpescendæ multitudinis, quæ perpetuo queritur de Magistratibus, vt extent certæ leges scriptæ, ex quibus Ius dicatur, Quibus irasci non li-

C v cet,

est, etiamsi durius & inclementius iudicatum fuerit ad illarum præscriptum.

Deinde conseruat quoque libertatem ciuicum aduersus licentiam Magistratum, & retinet in officio mediocria ingenia, quæ nisi legum vinculis continerentur, facile laberentur in Tyrannidem, ac subditos titulo ac specie Juris opprimerent, & ad extremum in miseram & foedam seruitutem redigerent, Sicut olim apud Barbaros, & hodie fit apud Turcas. Plato grauissime dixit, Vbi non Deus, sed mortalis aliquis dominatur, ibi malorum & ærumnarum nullum esse effugium.

Sed quia potestas eorum est astricta & finita certis legibus, quasi quibusdam finibus, quos egredi non licet, cum eas omnes receperint ac comprobarint, & ad eas se astringerint, ut cuncta retinentur in officio mediocriter boni. Vtilius est ergo Reipublice certas habere leges, ex quibus res iudicentur, quàm ex arbitrio pro libidine Magistratum.

Aristoteles sapienter ait, Quod qui legem volunt ciuitati dominari, hi videntur Deum ac leges dominari velle. Qui vero hominem dominari volunt, hi Beluam præficiunt. Cupiditas enim huiusmodi quiddam est,

est,

est, Et iracundia Magistratus deprauat
quantumlibet bonos viros, Ideoq; lex est
mens sine cupiditate. Nihil hac voce graui-
us, nihil elegantius, nihil ad retinendam tran-
quillitatem & societatem humani generis
utilius & efficacius est.

Sentiendum est igitur ac certo statuendū,
Rempub. sine certo Iure scripto nec ad-
ministrari nec conseruari posse, Et reñcien-
dam esse opinionem eorum, qui censent ex
arbitrio boni Principis res esse iudicandas,
aut præsentis leges esse abolendas ac nouas
esse ferendas, quæ nostris temporibus ma-
gis conueniant. Quiq; contendunt, Ius Ro-
manum latissime patere, nimis amplum, fu-
sum & obscurum esse, Et præterea commen-
tariariorum labyrinthis ac multitudine Scrip-
torum obnubilatum ac pene deprauatum
esse, Quibus vocibus egregie produnt insig-
nem impudentiam suam, cum extrema stul-
titia & impietate coniunctam.

Quid enim est quod in legibus Roma-
nis merito desiderari possit? Quas homines
eruditi, & in maximis negocijs Reipubli-
cæ versati studuerunt illustrare, tametsi
in multis euentus non omnino respondit,

Quod

Quod temporibus illis & linguarum imperitiæ potius acceptum ferendum est, quam illis bonis viris, quibus profecto neque ingenium, neque eruditio, nec diligentia & assiduitas defuit, quantum ex ipsorum scriptis apparet.

Ac ego quidem ita sentio, Primum, plerasque leges ita mutilas esse, & propter breuitatem obscuras, ut intelligi plane non possint à nobis hoc tempore, qui paulo negligentiores & ocio magis dediti sumus, nisi Commentarijs illorum optimorum ac doctissimorum virorum adiuuaremur.

Præterea, omnes eruditi ac summi viri & optimi quicque ita iudicant, quod quicquid est humanitatis priuatim in nostrorum hominum moribus, quicquid est ciuilium officiorum in Republica nostra, hoc omne debemus Romanis legibus, quæ Germaniam nostram (cuius olim summa barbaries fuit) ad mitiorem & humaniorem vitam traduxerunt. His enim imbuti nostri homines, paulatim illam veterem immanitatem exuerunt. Quæ est enim pars vitæ ciuilis, de qua non reperiantur in istis legibus humanissima & honestissima præcepta:

Iudæo

Iudæorum leges quanq̄ à Deo traditæ
sint, tamen illi genti magis conueniebant,
quam vt possint nobis conuenire. Neq̄ enim
ideo latæ sunt, vt alijs gentibus imponeren-
tur.

Lycurgi politia multa habuit incommo-
da & vitia, veluti, de disseccandis ac diuiden-
dis inter creditores corporibus debitorũ,
qui non erant soluendo, & id genus alia, quę
prorsus abhorrent à natura.

Solonis leges humaniores & ciuiliores
fuerunt, Sed in his multa de Matrimonijs &
alijs rebus correxerunt leges Romanæ.

Itaq̄ nullius ciuitatis, nullius gentis leges
præstant Romanis, quæ de omnibus ciuili-
bus officijs, de hæreditatibus, de contracti-
bus, de iudicijs ita præcipiunt, vt nusq̄ à na-
tura, nusq̄ à ratione discedere videantur.

Ac mea quidem sententia, etiamsi non
verserentur in foro, tamen in Scholis legen-
dæ essent, ad formanda & acuenda iudicia
de rebus ciuilibus. Hoc enim negari non
potest, quin plenissimæ sint & æquitatis &
humanitatis, & aptissimæ ad parandam pru-
dentiam de rebus humanis.

Quare nullo modo ferenda est arro-
gantia

gantia istorum, qui sine hac doctrina confi-
dunt, se vim æquitatis satis perspicere, aut
leges cōmodiores scribere posse. Scilicet (si
Dñs placet) melius videt aliquis Theologus
aut miles, qui nunq̄ attigit Rempublicam,
nunq̄ in foro versatus est, quæ forma iudicij
maxime sit utilis Reipublicæ. Quid in con-
tractibus, quid in diuisione hæreditatum æ-
quum sit, q̄ Papinianus aut Vlpianus, quorū
vterq̄ vitam contriuit, non modo in his stu-
dijs & foro, sed etiam in Imperij administra-
tione, & grauissimis deliberatiōibus de sum-
ma Reipublicæ.

Nam alter, Papinianus scilicet, præterq̄
quod fuit Iuris peritissimus, Ita quod Iuris A-
silum appellatus sit, fuit etiam vir singulari
iusticia & animi constantia præditus. Crude-
liter enim & indignissime interfectus est ab
impuro & sanguinolento Imperatore An-
tonino, propterea q̄ illius parricidium pro-
bare noluit. Maluit vir optimus, etsi homo
ethnicus, oppetere certam mortem pro Iu-
stitia (quam omnes, in primis autem Princi-
pes & Iureconsulti, summo studio colere de-
bent, etiam periculo vitæ, fortunarum & re-
rū omniū) q̄ tantū crimē autoritate sua defē-
dere,

dere, dignus profecto qui Ius profiteretur.

Vlpianus vero fuit Consiliarius & Cancellarius optimi ac sapientissimi Principis ac Imperatoris Alexandri Seueri. Qui Princeps tractaturus de Iure vel de causis ciuilibus, solos doctos & facundos in consilium adhibebat, vt scribit Ælius Lampridius.

Si vero de re militari vellet agere, delibebat non tantum cum militibus, ætate, prudentia & peritia bellorum ac locorum claris & exercitatis, Sed etiam cum eruditis, præcipue vero cum his, qui diligenter in Historijs versati erant, requirens ab eis, quid in talib. causis, quales in disceptationem veniebant, & de quib. controuertebatur, veteres Imperatores ac belli Duces, tam Romani quàm exterarum gentium ac Nationum fecissent.

Præterea nullam legem vnquam tulit, nullam constitutionem sanciuit, nisi adhibitis viginti Iureconsultis, & quinquaginta Consiliaribus disertissimis, doctissimis & sapientissimis viris.

Prudens sane factum, summaque laude ac bono Principe, maxime dignum, & vtile Reipublicæ, ad retinendam tranquillitatem publicam & priuatam. Quod si nos Principes imitemur, haud dubie melius ageretur
& nobis

& nobiscum & cum Republica.

Atqui multi reperiuntur hoc tempore, qui cum in Ecclesijs docere, aut re militarem tractare, & in acie versari debeant, Et quos (vt sapientissime iudicat Imperator) Arma potius scire oportet q̄ leges, Tamen irrum-
punt in forum & curiam, contempto Roma-
no Iure, nouas leges ferre conantur. Et ad
hanc rem non ingenium, non doctrinam ali-
quam ciuilem ac liberalem, non vsum deniq̄
adferunt, sed meram impudentiam, cum sin-
gulari stultitia & impietate coniunctam.

Hi se ipsi tanq̄ Deos admirantur, præ se
despiciunt ac contemnunt omnes Solonas,
omnes Papinianos, omnes Pontanos. Vete-
rem doctrinam rerum ciuiliū neq̄ norūt,
neq̄ nosse student, sed sua somnia obtrudunt
hominibus, eaq̄ pro oraculis haberi postu-
lant, Huiusmodi homines οὐτε δίκας εὐδότες
οὐτε θέμιστας (vt Homerus ait de Cyclopi-
bus) non hoc agunt, vt Reipublicæ consu-
lant, sed vt sibi Regnum parent, Misceri po-
tius omnia volunt, quam vt ipsi Regnum a-
mittant.

Nos autem meminisse & hoc summa cu-
ra agere decet, vt præsentēs leges, ac præci-
pue Ro

pue Romanas, studiose ac religiose colamus,
veneremur & conseruemus, vt res sacras &
ordinationes diuinas. Non tantum propter
honestatē (quæ nos in primis mouere debet)
sed etiam propter vtilitatem & necessitatē,
cum quia Deus hoc grauissime præcipit, tū
quia legum mutatio plerumq; perniciosæ est.

Ideo Vlpianus Iureconsultus (quem Se-
uerus Imperator, initio pallio suo, sæpe de-
fendit à vi & iniuria militum) eleganter in-
quit, In rebus nouis constituendis euidentis
vtilitas esse debet, vt recedatur ab eo Iure,
quod diu æquum visum est.

Et Demosthenes scribit legem fuisse Lo-
cris, vt si quis nouam legem laturus esset, ex-
poneret eam prius populo, inserto collo in
laqueum, Qui, si lex displicuisset, statim con-
strictus Autorem nouæ legis strangularet.

Herodotus dicit, insanire eos, qui patri-
as leges & patrios mores contemnunt, Quia
naturaliter ita amemus instituta patria, vt si
omnibus hominibus facultas sit eligendi op-
timas leges, tamen vnumquemq; electurum
esse patrias.

Possem innumera huius generis exempla
& sententias multorum præstantissimorum
D virorum,

virorum, ac peritorum Reipub. regendæ,
commemorare, qui iudicant & clamitant,
Omnes legum mutationem prohibendam
esse, quantumvis habeant incommodi, Quia
mutatio Reipublicæ semper adfert pluri-
mum malorum.

Sed nos contenti erimus testimonio Illu-
strissimi Principis Electoris, Saxonix Ducis,
D. Friderici, pro patrui nostri amantissimi
ac Domini plurimum obseruandi, Qui, si quis
alius, Princeps fuit pacis studiosissimus,
& Reipub. in toga gerendæ scientissimus,
Nec tantum in administratione domestica
versatus, Sed iactatus in maximis & periculo-
sissimis negocijs totius Imperij Germanici.
Huius authoritas & prudentia plurimum apud
nos valere, & memoria tanti Principis nun-
quam apud nos intermori debet, tum propter
singularẽ ingenij diuinitatem, qua præditus
fuit, & alios facile in Imperio Principes ex-
celluit, tum propter longum vsum rerum.

Ille, quoties ad eum deferrebat exemplum,
quod mutationem aliquam allaturum
videretur, pertinacissime aduersabatur, su-
bñciens rationem his verbis, Cit motus, (*Es
macht bewegung*) Hac voce sapientissimus
Prin

Princeps significabat, summa cura prouidendum esse, his qui tenent Respublicas, ne ferantur vllæ occasiones aut causæ motuum, Semel enim excitati tumultus, postea multis seculis non consulescunt. Sicut in historijs est cernere, Et testatur Erfordia. Quemadmodum enim in ædificio ruunt omnia, vno aliquo tigno exempto, Sic vnus legis mutatio ruinam trahit omnium, Qua ex re necessario est infinitos motus existere.

Cæterum, quod quorundam Causidicorum & Rabularum imperitia, fastus, impostura & auaricia, plerumq; legum auctoritate litem ex lite serit, ex æquo interdum iniqum, ex iniqum æquum facere studet, impetitos iudices bonosq; viros vt plurimum titulo iuris fallit, & miseros clientes expilat. Hoc certe non potest nec debet à bonis & ingenuis animis, qui liberaliter educati sunt, imputari legibus, Quæ grauissime puniri iubent Aduocatorum petulantiam, maledicentiam, fraudes, & calumniosam iuris interpretationem.

Magis agant cum his, qui, cum deberent in tales impostores & Sycophantas animaduertere, non tantum ipsi patiuntur illos Harpyas eiusmodi technas struere, Sed qui-

Dñ dam

dam ex his etiam admirantur & magnifici-
unt illorum argutias & calumnias, Estimant
singularem esse prudentiam, acumen & inge-
nū diuinitatem, & artificium quoddam mini-
me vulgare, idq; magis premijs ornant.

Est odiosum genus hominum, quod in
causis excerpit ea quæ mala sunt aut viden-
tur, ac valde queritur de vitijs docentium,
eaq; vehementer exaggerat. Quæ bona sunt,
ea dissimulat & tegit, vt imperitis omnia vi-
deantur improbanda & reñcienda, Quo fa-
cilius assequantur id quod cogitant, hoc est,
vt ipsi regnum obtineant & agant quicquid
libet.

Isti Momi & Antinomi non vident, neq;
tantum habent cerebri, vt cogitent, rerum
optimarum maximum esse abusum, Qui non
tollit, sed magis confirmat substantiam, vt
vulgo dici solet.

Quid vtilius ac magis necessarium est, ad
conseruandam valetudinem nominis, quam
medicina? Sed nunquid eam contemnendam
& abolendā existimabimus? quod plures in-
docti, impostores ac homines circūforanei,
sine vlla eius peritia & certa ratione ac me-
thodo, tantum experimentis quibusdam, mo-
re vitu-

re vetularum, audent ægrotis exhibere me-
dicamenta: Quibus plures interimunt quam
restituunt, dum pro Antidoto dant venenū.
Ita vt Plinius nō male dixisse fertur, Solis Me-
dicis, inquit (loquitur autem de imperitis &
indoctis) impune est homines occidere.

Magistratus est ordinatio diuina, à Deo
instituta, Sed quantus est eius abusus? Adeo
vt ille putauerit, omnium bonorum Princi-
pum imagines vno annulo insculpi posse.
Recte ne senserit, testantur omnium ætatum
ac temporum annales & historiae.

Extat vetus Prouerbum apud nos Ger-
manos vsitatissimum, Bonus ac pius Prin-
ceps, rara avis est in coelis, nigroq; similima
cygno, An propter abusum è medio tollen-
dos arbitrabimur Magistratus, Dei mini-
stros & vicarios? (inter quos adhuc multi
quoq; boni sunt) Sicut impñ quidam ac sedi-
ciosi docent, & nos in seditione ac tumultu
rusticorum vidimus.

Quid sanctius & præstantius est, quam
verbum Dei? vt sine quo nulla salus existere
potest. Et tamen impñ ac hæretici eo maxi-
me abutuntur, & cōfirmāt impietates & ido-
latrias suas, Seducunt ac perdunt innumeras

D iñ inno

innocentes animulas, Quemadmodum in re-
gno Pontificio, non sine magno incommodo
fortunarum, corporum & animarum nostra-
rum. experti sumus. An propterea pronū-
ciandum & abrogandum illud esse putabimus?
quod eo quidam abutuntur? Sicut maxima
pars hominum abutitur etiam ipso Deo, &
omnib. eius creaturis, quas Paulus ait esse res
bonas, si cum gratiarum actione sumantur.

Minime vero gentium. Tollatur abusus
ab his, quibus hæc cura incumbit, & mane-
ant ac religiosissime conseruentur res ipse,
quæ nobis à Deo traditæ, & fidei nostræ
commisæ sunt.

Habeantur inter vilissimos, & infamia
notentur, qui tanquā abiecti ac degeneres lu-
cro & pecunia capiuntur, vt Imperator sa-
pientissime constituit. Interdicatur his aduo-
cationis officio, alijsq; pœnis iure cōstitutis
afficiantur hi, qui maledictis & probris po-
tius quā ratione certare, & causas agere stu-
dent. Qui turpis lucri gratia causas studiose
extrahunt, Qui linguas habent volubiles &
venales, Et hanc ciuilem sapientiam (vt pru-
denter ait Iureconsultus) precio nummario
putant estimandam & dehonestandam, Qui
ius per

ius peruertunt & euertunt. Qua ratione, pe-
culantia & improbitas illorum loquacissimo-
rum ac impudentissimorum hominum (quos
Papa Pius II. eleganter appellat Aucupes,
Iudices canes, litigantes autem aues) si non
prorsus tolli, saltem aliqua ex parte reprimi
ac coerceri posse videtur.

Non ergo patiamur eas leges, quæ à sa-
pientissimis hominibus, diuino quodam im-
petu ac motu, prudēter excogitatæ sunt, Ab
optimis Principibus cōstitutæ, & à maiorib.
nostris (vt ab Imperatore Lothario Saxo-
ne) ex tenebris in lucem & in forum reuoca-
tæ, ac fidei nostræ commendatæ sunt, eas non
sinamus excuti nobis é manibus, tolli ac mu-
tari ab illis, qui nulla liberaliori doctrina,
nullo rerum vsu satis exculti sunt, Et tantum
hoc student, vt presentibus legibus abolitis,
ipsi sua somnia nobis obtrudant, tyranni-
dem exerceant, & Rempubicam penitus
euertant.

HÆc de legum autoritate & dignitate cō-
seruanda, necessario videbantur hoc
tempore ac loco paucis exponenda, prop-
ter adolescentes, qui diligenter admonendi,
vt statim á teneris annis imbuēdi sunt, vt has
impudentissimas & stultissimas voces, de

D iij mutan

mutandis aut abrogandis legib. abominen-
tur & execrentur, Sed vt præsentēs leges
magnificent, & statuāt eas summa cura &
diligentia discendas, colendas & conseruan-
das esse, vt sine quibus Respub. regi & con-
seruari non possunt.

NVNC LEGES HVIVS NOSTRI
Regni literarū, breuiter hoc ordine
proponam, ita vt omnes facile possint
eas animo & memoria complecti. Ac primū
eas exponā, quæ pertinent ad pietatem, cuius
prima cura nobis omnibus esse debet, in
primis autem Principibus, qui diligentissime
curare debent, in sua quisq; ditione, vt ciues
sui recte de Deo doceantur, & Euangelij do-
ctrina sincere tradatur.

Deinde quæ maxime pertinere viden-
tur ad studia, quib; à parētib. addicti sumus.

Ad extremum eas, quæ pertinent ad mo-
res, breuiter & simpliciter ostendam.

Hæc enim tria adolescenti ingenuo præ-
cipue discenda sunt, Pietas scilicet, boni mo-
res, & literæ, quæ nos plurimum & Deo &
hominibus commendant, Sicut hi pueriles
versiculi docent.

Præcis

*Præcipuum veræ studium pietatis habeto,
Ista Deum recte nouit & esse patrem.
Proxima virtutum tibi cura sit atq; voluptas,
Hys hominum fauor & conciliatur amor,
Vindicat extremas sibi nunc prudentia partes
Dicendiq; artes, vnde paratur honor.
Hec tibi si fuerint cordi, mala nulla videbis,
Perpetuo felix atq; beatus eris.*

Ideoq; peto à vobis, vt attentas & benignas aures nobis, vt hactenus, præbere velitis

DE PIETATE, LEX PRIMA.

VOLUMVS VT NOSTRI VERBum Dei & sanam Euangelij doctrinam, summo studio & ex animo colant. Ex hoc enim, velut organo, contingit nobis vera Dei & Christi noticia, duce tamen ac præceptore Spiritu sancto, qui per verbum est efficax in his, qui per terrefacti metu Iudicij Dei aduersus peccatum appræhendunt promissam in Christo misericordiam.

SECUNDA.

Ideo sacras conciones & Cæremonias in Ecclesia à Christo Seruatore nostro vnico
D v propter

propter nos institutas diligentissime, & ea,
qua decet reuerentia, audiant & reuerantur.
In primis autem Catechismum (qui conti-
net præcipua capita piæ doctrinæ) ad ver-
bum ediscant, eumq; repetendo ac meditan-
do sibi q̄ familiarissimum faciant vt inde ve-
rum timorem ac fiduciam erga Deū animis
concipiant, exerceant & quotidie magis ac
magis alant.

TERTIA.

Mane igitur, postea q̄ hora consueta sur-
rexerint, debent primum omnium, manibus
compositis, & oculis in cœlum verecunde
sublatis, Deo reuerenter agere gratias. De-
ne singuli Psalmum dicere, & orare, vt ille
studia vestra pro summa sua in nos beneuo-
lencia, fortunare ac gubernare velit, ad or-
nandam Christi gloriam, & ad salutem piæ
Ecclesiæ ac patriæ.

Et hæc de pietate leges sufficiant, quate-
nus hic locus requirere videtur. De hac
enim differere non est nostri neq; instituti
neq; officij, cum ad aliud forum & theatrum
pertineat, & ex sacris literis ac concionib.
recte discenda est.

Nunc de studijs, quibus hæc ætas ad hu-
manita-

manitatem & ad Rempublicam regendam
informari solet, paucula præcepta subiiciã.

DE STUDIIS, Lex Prima.

PER ACTIS ERGO SACRIS
& precibus, debent ad sua quisq; studia,
quibus à Deo. per Parentes addicti sumus,
alacriter accedere, summaq; diligentia ani-
maduertere ad ea, quæ dicuntur & propo-
nuntur ipsis à Præceptoribus, quos loco pa-
rentum habere, colere ac venerari decet.

Lectiõnem auditam non semel, sed iterũ
ac sæpius repetere, tantisper, dum ad vnguẽ
ac penitus didicerint ea quę proposita sunt,
vt interrogati recte & aposite respondere
possint. Verum est enim quod vulgo dici so-
let, Lectio decies lecta, tum demum plac-
cebit.

Præcipue vero præcepta Grammatica
sibi q; familiarissima faciant, & ea tanq; digi-
tos suos bene cognita habeant, vt in legen-
do ac dicendo ad ea se referant, & ad vsum
accommodare discant. Nam nisi quis funda-
menta fideliter iecerit, in hac arte puerili,
quæ vel sola in omni genere studiorũ, plus
habet

habet operis q̄ ostentationis, & plus habet
in recessu, quā in fronte promittit) quicquid
superstruxeris corruet, ait elegāter Fabius.

SECUNDA.

In enarrandis ac legendis bonis autoribus,
admoniti diligenter obseruent ea, quæ perti-
nent, cum ad dicendi facultatem & ad augen-
dam facundiam, tum ad parandam pruden-
tiam, & ad formandum iudiciū de rebus hu-
manis. (Hæc enim duo lecturi bonos auto-
res in primis spectare debemus) Elegantes
sententias & omnis generis exēpla, quæ ma-
xime pertinere videntur ad excolendum in-
geniū ac animū, & ad Rempublicam, Itemq̄
formulas latine loquendi accurate adnotēt,
easq̄ sibi familiariter notas faciant. Quod fa-
cile ac sine vilo negotio præstare possunt ac
debent. Ea enim quæ pertinent ad orationis
artificiose structuram, cōpositionem ac seri-
on, maius robur requirere videntur.

TERTIA.

Et quia Stylus est optimus dicendi ar-
tifex, vt verissime scribit Cicero, Ideo præ-
cipimus ac volumus, vt pueri nostri se dili-
genter exercent, in dicendo ac scribendo.
Singulis hebdomadibus scriptum aliquod
latine

latine versum exhibeant. In quo genere exercitiū hanc curam adhibeant, vt ad orationis elegantiam, facilitatē & perspicuitatem (quæ maxima virtus eius est) se statim à pueris assuefaciant, & ita loqui ac scribere discant, vt omnes qui legunt & audiunt, intelligere possint, quid illi sentiant, ne sit opus interprete ac Delio natatore, Sicut prouerbio dicitur. Quod accidit his, qui nimium affectate loqui student, curiose magis quàm latine, sine omni iudicio. Atque ita incidunt in κακοκλίαν vitium, vt ait Fabius, in dicendo omnium pessimum.

QVART A.

In primis autem ordinem in studiis obseruent, vt suo quodque loco, tempore & modo, sicut ipsis præscriptum est, studiose faciant. Nullum intermittant diem, in quo non aliquid addiscant, exemplo optimorum ac prudentissimorum Principum, cum Alexandri Seueri, qui, cum adhuc puer esset, ne vnum quidem diem sponte transire passus est, quo se non & ad literas & ad militiam exerceret, Tum M. Antonini Philosophi, in quo tantum Philosophiæ studium fuit, vt iam accitus in Imperatoriam dignitatem, tamen

Appol

Appollonium Philosophum discendi causa
audiret.

Memores sint eius, quod Iulianus Iure-
consultus dixisse fertur, Etsi alterum pedem,
inquit, in sepulchro haberem, tamen adhuc
discere vellem.

Hac ratione & exercitatione (qua nulla
potest huic ætati commodior et utilior esse)
fiet, vt sine omni incommodo valetudinis,
auxilio Dei, facile consequantur latinæ lin-
guæ (cuius iam maximus vsus est apud om-
nes Nationes) & multarum rerum cognitio-
nem, sine quibus Respublicæ non possunt fe-
liciter administrari.

Hactenus de studijs, de quibus alias co-
piosius dici solet, Nunc de moribus pauca
proponemus, & finem dicendi faciemus.
Si tamen hoc prius admonuerimus, vt pueri
nostri sub horam prandij ac coenæ, item itur-
ri cubitum, agnoscant beneficia Dei, qui nos
immeritos alit & defendit, eiq; pro his om-
nibus agant gratias, & se Christo diligenter
commendent, Atq; ita somnum capiant.

DE MORIBVS,

Lex prima.

Quamquam

QUANQVAM AVTEM VERA pietas & solida eruditio (pulcherrima & præstantissima Dei dona) plurimum habeant momenti, cum ad consequendam salutem æternam, tum ad cõciliandam apud homines eruditos ac peritos benevolentiam, Tamen illa satis intelligi ac perspici non possunt ab his, qui non sunt exculi liberaliori doctrina, Nisi commodis quoq; moribus, quasi notis quibusdam externis, declarantur & exprimantur.

Ideo mandamus autoritate qua fungimur, vt nostri suum quisq; officium, ad quod singuli destinati sunt, & quod eis demandatum est, studiose faciant. Summa cura dent operam, vt omnibus viribus quantum possunt, in hoc incumbant, vt Euangelij doctrinam, quam profitemur, ornent benefactis & virtutibus etiam ciuilib. Vt his, veluti testimonijs fidei nostræ, Deus illustretur ac innotescat, Et vt alijs exemplo nostro inuitati, facilius veram pietatem amplectantur.

SECUNDA.

Caueant ergo sibi ab Epicureis sermonibus, ab execrationibus, quæ solent hoc tempore quibusdam in ore frequentes esse, præsertim in Aulis. Caueant
ab ob

ab obscœnis verbis, ab omni immodestia & intemperantia, à mendacijs & iactantia, ab ineptijs, à scurrilitate & vanitate, quibus vitijs homini ingenuo ac pio nihil turpius, nihil indignius esse potest.

TERTIA.

Modis omnibus autem fugiant & abominentur illicitas voluptates corporis, luxum, libidines & ebrietatem, quæ præterquod sunt indignissimæ hominis præstantia, sunt etiam nocentissimæ pestes ingenij, memoriæ, valetudinis & omnis honestatis, ac feminaria quædam omnium scelerum ac flagitiorum, sicut omnium ætatum historiæ, omnium sapientum & eruditorum voces & scripta testantur, Et docet experientia rerum magistra.

Nec vero moueantur horum temporũ exemplis, quæ sæpe præclarissima ingenia corrumpunt, & adolescentes optimæ indolis ac spei præcipitant & perdunt, ita vt nullus aut paruus illorum vsus esse possit in Republica. Meminerimus nos non ad ociũ & ad voluptates esse conditos, sed ad grauiora negocia, ad glorificandum Deum honestis actionibus, & omni genere virtutum & officiorũ, quib.

quib. conseruatur ac propagatur inter ho-
mines vera pietas & societas in hac ciuili
vitæ consuetudine.

Meminerimus grauisissimi præcepti diuini,
(cui merito nos omnes, qui pñ & esse & dici
volumus, obtemperare debemus, dispendio
salutis æternæ) Quod Christus Dei filius, cū
de extremo iudicio differeret, nobis manda-
to summi patris nostri reliquit, Quo nos fide-
liter & diligenter monet, vt nobis caueamus
à crapula & ebrietate, & ab auaricia, quæ
testatur esse signa nouissimi diei & aduentus
sui, quo iudicaturus est viuos ac mortuos,
& singulis redditurus pro meritis.

Addit. n. grauisissimam comminationem
& causam à magnitudine periculi sumptam
Ne securi scilicet inopinato opprimamur,
& obruamur celeri aduentu eius diei, qui ci-
tius opinione, tanq̃ laqueus (quo feræ capi-
untur & aues) ingruet super omnes, qui sunt
adhuc in terra superstites.

Quem tantæ cōminationes à diuina Ma-
iestate profectę non mouent & afficiunt, is
animum habet silice duriolem, & dignus est,
qui relinquatur iudicio Dei (quod grauisi-
mum & intollerabile futurum est) cum sci-
ens ac prudens perire cupiat.

E

Studeant

Studeant ergo nostri excellere omni genere virtutum & officiorum etiam ciuiliū, pietate videlicet, iusticia, veritate, tēperantia, sobrietate, modestia, facilitate, verecundia, animi moderatione, abstinentia, liberalitate, & id genus alijs virtutibus & bonis operib. vt ornent Euangelij doctrinam (quā certo scimus Apostolicam ac totius catholice Ecclesie Christi cōmunem consensum esse) ne nomen Dei propter mores nostros male audiat apud aduersarios.

Qua re Deo gratissimū officium facient, & conciliabunt sibi maximam apud omnes homines beneuolentiā, Reipub. parentibus, amicis, & ornamento & vsui esse poterunt.

Et nos Principes (quos D. Paulus Dei ministros ac vicarios, & Psalmus Deos appellat, propterea q̄ diuinum officium gerimus, ac benefici esse debemus) eas virtutes magnis premijs ornare decet, vt adolescentes ad studium virtutis ac bonarum literarum accendantur. Honos enim alit artes, vt rectissime dicit Cicero.

HAs in hoc Imperiolo nostro Leges de pietate scilicet, studijs ac morib. breuiter his qui fidei nostre cōmendati sunt, hoc tēpo re proponendas existimauimus, vt sciant, quid

quid agendum quidue fugiendū sit. Et hor-
tamur, præcipimus ac volumus, vt his obtem-
perent omnes huius Regni nostri ciues, ex-
pectaturi ac laturo præmia, quæ bonis hic
debentur, singularem nostram clementiam,
defensionem, liberalitatem ac beneuolenti-
am, si diligenter eas, vt decet, obseruarint.

Qui vero eas violauerit & contra fece-
rint, hi præterq̄ q̄ indignationem nostram
incurrant, non effugiant etiã pœnas, quib.
improbi contemptores Magistratū coer-
ceri solent ac debent. Deus enim requirit à
nobis debitam obedientiam erga Magistra-
tus. Quos etiam si fallamus, & è manibus ip-
sorum elabamur, tamen non possumus effu-
gere vindictã Dei, qui pœnas irrogat & cor-
porales & æternas, omnibus, qui lædunt au-
toritatem Magistratum, & violant iustas
eorum leges, Quas Paulus clare testatur es-
se ordinationes diuinas.

Eas igitur vt res sacras & religiosas re-
uerenter amemus, sanctissime colamus, sum-
moq; studio conseruemus, nec patiamur eas
temere nobis abrogari aut mutari technis
& machinationibus hominum ambitiosorū,
quos male vrit authoritas Iureconsultorū,
in dictando & præscribendo Iure, his qui

E ñ Iuri

Iuri dicundo præfunt. Verum enim est illud
Platonis, Vtiores leges mutare, perinde est,
ac hydræ capita præcidere, Dixi.

Recitata est hæc Declamatio ab Illustri
Principe D. Iohanne Friderico I I. Saxonix
Duce, cum annum XIII. ingressus esset, In ar-
ce Torgensi, xxvii. mensis Februarj, Anno
M. D. X L I I. in hypocausto gentilicio Sa-
xonix Ducum, Præsentibus Principibus, D.
Iohanne Ernesto, & D. Iohanne V Vilhelmo
Saxonix Ducibus, & plerisque Consiliarjjs
Principis Electoris Saxonix, Ducis
& Burggrauij Magdebur-
gensis, &c.

Gratulatio: qua Illustris Prin-
ceps, D. Iohannes Fridericus I I. Dux Saxo-
nix, &c. Illustrissimum Principum Electorẽ
Iohannem Fridericum, Saxonix Ducem, &
Burggrauium Magdeburgensem, &c. Pa-
trem ac Dominum suum amantissimum, è
hælo Brunsvicensi, quo Mezentius Brunsvi-
censis eiectus est, victorem auxilio Dei
redeuntem excepit, Altenbur-
gio in arce, I I. Octobris,
Anno 1542.



Vt pie



VT PIETATIS OFFICI-
um est, aduersis reb. amicorum
adfici perinde atq; nostris, Si-
cut Menelaus apud Euripidem
Agamemnoni fratri suo respon-
dit, Oportet, inquit, amicos & mutuo dolo-
re. Ita cuiusdam humanitatis esse iudicio,
gratulari felicitatem & letari reb. prosperis
eorum, qui nobis coniuncti sunt.

Quare cariss. Pater, cum ad nos è bello vi-
ctores, auxilio Dei, redieritis, ego & aman-
tissimus frater meus, gratulamur primū celsi-
tudini vestræ felicem reditū ac prosperum
rerum successum, Et ex animo gaudemus, ac
Deo clementissimo Patri nostro gratias agi-
mus, qui C. V. pro summa sua erga nos indi-
gnos beneuolentia, saluam & incolumem ad
nos reduxit, eiq; clementer dedit tam subi-
tam, tam incruentam, tamq; facilem victori-
am, quod profecto nemo putasset,

Quæ & si ab ipso solo proficiscatur (ve
omnia bona quibus hic fruimur) eaq; sæpe
contingat etiam impñs ac gentibus, quæ nul-
lam cognitionem Christi habent, sicut ex hi-
storñs apparet, Tamen negari non potest,
quin, vt malefacta non manent impunita, Sic
& virtutes habeant hic sua premia, Quæ De

E iñ usidea

us ideo proponit, vt nos excitiores & ala-
criores faciat ad omnis generis officia & be-
nefacta, (Solent enim interdum etiam pñ ne-
gligentiores ad benefaciendum esse) Non
vt ipsi nobis placeamus, & hæc tanta benefi-
cia Dei nostris copñs adscribamus, sed tantū
ipsius bonitati & misericordiæ, vt quibus or-
nat hic pios ac bonos, & punit impios ac ma-
los, vt ipse solus illustretur & innotescat a-
pud homines sana doctrina Euangelij, com-
modis moribus, & honestis actionib. nostris,
Quæ fuit haud dubie præcipua causa, prop-
ter quam hæc victoria nobis est concessa di-
uinitus, certe citius ac facilius q̄ quisq̄ opina-
tus fuisset.

Ex quo vel certo potest intelligi, etiam si
nullum eius rei testimonium in scripturis ex-
taret, quæ fuerit huius victoriæ causa effici-
ens, quis autor, à quo profecta est, Vt nobis
cū Psalmographo liceat ex animo dicere, cū
ille Spiritu plenus inquit in hæc verba, In te
inimicos nostros ventilabimus cornu, Et in
nomine tuo spernemus insurgentes in nos,
Manus tua disperdidit gentes, afflixisti po-
pulos, expulisti eos. Non enim in arcu meo
sperabo, & gladius meus non saluabit me.
Saluasti nos de affligentibus nos, & odientes
nos confudisti, Notus est enim locus.

Hoc officium, quo soli Deo tribuimus laudem sapientiæ, potentiaë, bonitatis, & aliarum virtutum, est ei gratissimum sacrificium, ut quod à nobis omnibus grauissime requirit.

Deinde precamur, & omnibus votis optamus, ut hæc victoria sit nobis & vniuersæ Reipublicæ salutaris, ut hoc pulcherrimo Dei beneficio feliciter ac pie, cum gratiarum actione, fruamur, Ut vera religio recte colatur, ut Euangelium Christi sincere tradatur, & ad posteros quoque propagetur, Ut literarum ac legum studia, sine quibus Respublica regi & conseruari non potest, floreat & prouehantur, ut nobis ac posteris nostris liceat vti pia, firma & perpetua pace, ad ornandam gloriam Dei, & ad salutem patriæ. Ne (quod absit) inflati rebus prosperis, & ad voluntatem nostram fluentibus, incidamus in stultam confidentiam, animi ferociam & securitatem, quasi iam defunctis omnibus periculis, in portu (quod dicitur) nauigemus. Cicero prudenter dicit, Semper esse vigilandum, Bonis. n. inquit, multæ insidiæ sunt. Et apud veterem Poetam Hecuba sapienter admonet eos, quibus res secundæ sunt, non oportere fidere, itidem futuras semper ex sententia.

Quod

Quod amantiſ. Pater, officio ducti, ne
parum humani videamur, ita ſimpliciter op-
timo animo C. V. ſignificandum putauimus,
Et reuerenter oramus, vt ea velit hoc offi-
cium, pro paterno ſuo erga nos amore, in
optimam partem accipere, ſibiq; nos & ſtu-
dia noſtra, in quibus mandato celsitudinis
veſtræ verſamur, eo modo, quo Dei benefi-
cio poſſumus, habere commendatiſſima.
Pro quo beneficio noſtra viciffim officia
cum ſingulari pietate & obſeruan-
tia præſtanda, ſicut obediētes
filios decet, C. V. reue-
renter deferimus,

Dixi.



Erphordiæ, Typis Georgij
Baumanni excuſum.



ILLVSTRI
VM PRINCIPVM
IVNIORVM D. IOHAN-
NIS FRIDERICI, ET D. IO-
HANNIS VVILHELMI, FRA-
TRVM, SAXONIÆ
DVCVM, &c.

Quibus Illustrissimo Principi, ac Domino,
D. Iohanni Friderico, Sacri Roma. Imperij
Electori, Duci Saxonix, &c. & Burggrauio
Magdeburgensi, Patri suo amanti. ac Do-
mino plurimum observando, felicem &
faustum novum Annum preca-
ti sunt publice, Vinarix
ipso die natali
Christi.

ANNO M. D. XLIIII.



M. D. LXXXIIII.

ILLESTRI
VITAM
IN
DE
IN
IN

Quod est...
In nomine...
In nomine...
In nomine...
In nomine...

ANNO D. M. C. LXXXIII

M. D. LXXXIII



DVCIS IOAN-
NISFRIDERICI
ORATIO.



ILLVSTRIS-
sime Princeps, amātissime Pater,
ac Domine plurimū obseruan-
de. Peruetus & laudabilis mos
est, iam inde à maioribus nostris acceptus,
& nobis quasi per manus traditus, vt Calen-
dis Ianuarij, quibus olim Romæ nouos Ma-
gistratus inibant, & nunc apud nos ipso die
Natali Christi, quo Filius DEI factus est
homo, propter salutem nostram, alij alij no-
uum ac felicem Annum precentur, suamq;
beneuolentiam aliquo munusculo testen-
tur. Solent enim in hac vita, quæ varijs
casibus & fortunæ telis obnoxia est, multa
accidere, quæ nos & facultates nostras
haud dubie pessundarent, nisi DEVS pio-
rum precibus admonitus, illa pro sua in nos
bonitate, clementer auerteret, quemadmo-
dum Historiæ testantur, & docent quotidi-
ana exempla.

F ñ

Et quia

Et quia hæc tempora, quæ sunt omnium difficilima & periculosissima, videntur insignem aliquam mutationem allatura, Id quod non solum ex præteritis & præsentibus facile colligi potest, Et extant eius rei certa vaticinia & testimonia in sacris literis prodita, sed etiam astra & signa cœlestia nō obscure portendunt, & minantur Germaniæ nostræ nescio quid, cuius recordatione non parum perhorrescit animus, Nisi Deus vera pœnitentia nostra motus, iram suam à nobis clementer auertat, & imminentes calamitates prohibeat aut mitiget propter filium suum.

Videmus enim, idq; non sine summo dolore animi, & maxima iactura Reipub. Christianæ, quantæ sint dissensiones, non in Ecclesia, sed etiam in Imperio, Aduersarij piam doctrinam, eiusq; Professores acerbissimis odijs persequuntur, nec vllum modum aut finem sæuendi faciunt in homines innocentes ac pios, qui non omnia Pontificum somnia & deliramenta probant.

Scribuntur Edicta sanguine tincta, quibus conantur impios cultus & Idolatriam
defen-

defendere, contra manifestam & agnitam
veritatem, vt regnum in Ecclesia retineant,
tyrannidemq; suam exerceant, voluptati-
bus & ocio perfruantur, non sine summa
blasphemia Dei, & iactura rerum & anima-
rum nostrarum.

Multi boni viri contra omnia Iura pro-
scribuntur, è sedibus suis eñciuntur in exi-
lium, á liberis & coniugibus auelluntur, ac
misere trucidantur.

Maxima pars hominum ducitur infini-
tis cupiditatibus, illicitis ac foedis voluptati-
bus, & delectatur Epicureis opinionibus.
Nusquam tuta fides est, nullus candor, om-
nia fucis plena sunt & simulatione, mille no-
cendi fraudes & artes excogitantur, multa
sunt consilia insidiosa & pleonectita, quæ
pleriq; summam sapientiam existimant, Pel-
litur è medio virtus, vi geritur res, vt ele-
ganter ait Ennius.

Mirus est contemptus iræ ac iudicij
Dei, Summa securitas, Inexplebilis auaricia,
Fastus intolerabilis, luxus sine modo cre-

F iñ scit, &

scit & parit multa nefaria scelera, quæ nunc
à quibusdã pro virtutibus habentur, Quisq;
pro libidine viuit, ac sibi quiduis licere pu-
tat, nec admonitus resipiscit. Hanc tantam
licentiam, necesse est sequi maximam aliam
quam rerum mutationem.

Ideo Pater amantissime, communibus
votis optamus, & ex animo precamur, Pri-
mum, vt hic Annus, in quo tot Eclipses si-
gnificant haud dubie magnum aliquid futu-
rum, Sit C. V. ac nobis omnibus felicissi-
mus.

Deinde, vt emendata vita nostra, De-
us pro sua erga nos benignitate, calamita-
tes, quæ imminere videntur, auertat, Et C.
V. nobis diu seruet superstitem, saluam &
incolumem, Alioqui male nobiscum agere-
tur, in tanta difficultate horum temporum,
varietate ingeniorum, hominum improbi-
tate & perfidia, Gubernet omnes pias & ho-
nestas eius actiones, ipsius mandato suscep-
tas, ad ornandam Gloriam Christi, & ad sa-
lutem piæ Ecclesiæ ac patriæ, Vt vera Rel-
ligio conseruetur, & ad posteros propage-
tur integra.

Vt in

Vt in his Comichs (quæ futura spe-
rantur) vera & firma Concordia, saltem de
rebus Ciuilibus in Imperio constituatur.
Necq; enim spes est, fore, vt vbiq; pia & con-
ciliatio dogmatum vnquam fiat, Vt tandem
aliquando communi consilio & coniunctis
copiis omnium Ordinum Imperiũ, Turcica
tyrannis (quæ nunc Ecclesiam Christi acer-
rime oppugnat, & nomen Filij Dei fundi-
tus delere conatur armis) maiore fide, dili-
gentia & felicitate quam hactenus factum
est, auxilio Dei reprimatur & frangatur.

Deniq; vt omnia pia & honesta stu-
dia & disciplinæ prouehantur, floreant &
excolantur, vt nobis cum omni pietate &
honestate, liceat vti pia & perpetua pace.

Quibus votis non tam pijs, quam hoc
tempore maxime necessarijs Cel. V. vt a-
mantissimum Patrem nostrum pro pietate
nostra iam impertiendam esse duximus nos
eius filij.

Nunc reliquum esset, vt hanc nostram
voluntatem verbis ita simpliciter vtcunq;
declaratam, etiam factis & re ipsa testatam
faceremus.

F iij

Sed

Sed C. V. non iguorat, quales sint hac
ætate facultates ac reditus nostri. Tamen
vt ea intelligat, nobis non deesse bene me-
rendi studium (quod in primis ornat & de-
cet Principes & heroicos viros, Sicut & Sa-
lomon scribit, cum ait: Munificentia & ve-
ritas custodiunt Regem, & fulcitur thronus
eius eius beneficentia) offerimus C. V. par-
uum quidem & perexiguum Munusculum,
idq; Chartaceum, nempe Declamationes
nostras in gratiam C. V. germanice vtcunq;
versas, quantum in tanta temporis angustia
licuit, quas olim coram C. V. & alijs quibus-
dam Principibus & eruditis publice recita-
uimus, Non quod hoc dignum esse iudice-
mus C. V. Sed vt sit veluti testimoniũ quod-
dam nostræ voluntatis, ex quo C. V. co-
gnoscat cursum & progressum studiorum
nostrorum, quibus & quomodo statim à
teneris annis instituti sumus. Quod bene-
ficium, quo nullum nobis maius & vtilius
dari potest, C. V. proxime ac secundum
Deum merito accepto ferimus, eiusq; per-
petuo memores erimus & grati, Tametsi ve-
rissimum sit, quod eleganter ait Aristoteles:
Deo, Parentibus & Præceptoribus, nun-
quam

quam parem gratiam referri posse.

Et reuerenter ac officiose rogamus, vt C. V. velit hanc qual emcunq; significati-
onem animi nostri pro paterno suo erga
nos amore, in optimam partem accipere,
Sibiq; quam commendatissima habere stu-
dia nostra, in quibus mandato C. V. versa-
mur eo modo quo per ætatem & pertur-
bationem horum temporum licet, Neq; fa-
cile pati, vt ab his intempestiue diuellamur.
Omnium enim eruditorum ac prudentum
voces clamitant, & testatur experientia &
quotidianus rerum vsus, nullius Reipublicæ
gubernationem esse felicem sine literis, vt
vt hæc a quibusdam negligentur.

Pro quo summo beneficio nostra vi-
cissim officia, cum ea qua pios Filios decet
obedientia & obseruantia præstan-
da, C. V. studiose deferri-
mus, Dixi.

F v

Ducis



DVCIS IOHAN.
WILHELMI
ORATIO.

Illustrissime
Princeps, amantissime Pa-
ter ac Domine, summa no-
bis obseruantia perpetuo
colende. Etsi Illustris
Princeps D. Ioannes Fri-

dericus, frater meus hic amantiss. C. V. no-
uum Annum, & suo & meo nomine precatus
sit, Ita vt nihil opus esse videatur, eandem
Cantilenam toties repetere, Tamen ne pla-
ne muta persona perpetuo videar, sicut in
Comedijs fieri solet, operæ precium me fa-
cturum putavi, si meam ipse voluntatem C.
V. breuiter exponerem, eo modo quo pos-
sem, Et maxime cum sciam hoc officij ac ex-
ercicij genus C. V. non ingratum esse, pre-
sertim hac ætate nostra, propter utilitates
quas innumeras secum adfert.

Et quamuis male ominari nolim, ta-
men videmus statum horū temporum eius-
modi

modi esse, vt necesse sit omnes sanos fateri, futuram aliquam mutationem, Quæ vide- tur fieri non posse sine multis magnis ærum- nis & calamitatibus, quibus Deus scelera mundi puniet. Est enim impossibile, vel iu- dicio rationis humanæ, vt tantam licenciam diutius impunitam ferre possit, Nisi vitam nostram in meliorem cõmutabimus. Quod vt ex animo fiat, hoc omnes orare, summoq; studio contendere debemus.

Quare Pater amantissime precor Cel- situdini vestræ nouum hunc Annum felicis- simum, Et oro, vt coelestis Pater ei velit ad- esse, in omnibus pñs & honestis consilijs & actionibus, Eamq; nobis paruis adhuc filio- lis, ac patriæ quam diutissime clementer conseruare superstitem & sanam & corpo- re & animo, præsertim his difficillimis ac pe- riculosissimis temporibus, In quibus est mi- ra rerum omnium perturbatio & discordia, non tam in Ecclesia quam in Imperio, vt ipse solus glorificetur, ac prædicetur pura doctrina Euangelij, & commodis moribus nostris, ad salutem & vtilitatem Reipub- licæ.

Quod

Quod C. V. vt amantissimo Patri nostro ac Domino plurimum obseruando, simplicissime significandum existimaui, Et reuerenter oro, vt ea velit hoc officiolum pro paterno suo animo, boni consulere, & nos vna cum studijs nostris sibi commendatos habere, quemadmodum hactenus semper habuit, vt nobis auxilio DEI liceat ea feliciter, vt coepimus, absoluere, Ne (quod absit) in medio cursu ab illis distrahamur, sed assiduitate ita pergamus, vt olim C. V. & patriæ possimus & ornamento & vsui esse, ad illustrandam gloriam DEI. Plato eleganter ac vere scribit, Beatas fore Respublicas, quibus præsunt aut sapientes aut sapientiæ studiosi. Constat enim Respublicas feliciter nec administrari nec conseruari posse sine literis. Et Scriptura disertè testatur, Male agi cum ea terra, cuius Rex puer est. Salomon, quem constat omnium ætatum & gentium, sapientia præstitisse, dicit, Multas iniurias fieri, si Princeps imprudens sit, sicut & iam experientia probat.

De nobis autem, vt obedientibus Filij,
C,

lñs, C. V. sibi plane persuadere debet , nos
quantum beneficio DEI possumus in
tanta rerum perturbatione, nun-
q̄ officio nostro defu-
tuos. Dixi.




ERPHORDIAE
Georgius Bauman
excudebat,
ANNO
M.D.LXXVIII.




Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







Ma 69/a

ULB Halle
002 417 456


3



h. r.







ILLVSTRIVM
PRINCIPVM IV-
NIORVM SA-
XONIAE.
IO. FRIDERICI II. ET
IO. VVilhelmi, fratrum.
DECLAMATIONES.
Quarum est:
1. De boni Principis officio.
2. De Diuo Georgio,
3. De dignitate legum conseruanda.
4. Gratulatio, Qua patrem su. clem.
Io. Frid. Du. Sa. Electo, &c. vi-
ctorem à Brunsuig redeuntem ex-
cepit.
Cum Præfatione
D. MARTINI LVTHERI.
M. D. LXXXIIII.

